Fragmentarium

13 6(5)-13

Qui descenderentes de naue monasterium ingressi sunt. Videntesque
fratrem. gaudio repleti sunt magno ualde. Qui in osculis eius ruen-
tes mox. et se inuicem diutius amplexantes. pre amoris et gaudii magni-
tudine flebant simul ualde. quia cum puerulum eum soliti essent uide-
re post tanti temporis uirum effectum. et monachili habitu indutum. et quia
erat pre nimia abstinentia et magnis uigiliis et assidua oratione corpore
extabe factus et adnichilatus primo non cognouerunt eum. sed postea indi-
cio cognouerunt. Post dulcia autem colloquia et que necessaria es-
sent exhibita. habitauerunt simul. Igitur post aliquot dierum
spacium. cum nocturnum in ecclesia decantarent officium. subito ex His-
pania paganorum multitudo nauium aduenientes et fores monaste-
rii effringentes. omnes simul comprehenderunt. preter unum romanum
nomine. Gordianus qui erat grecis litteris eruditus qui a beato patre benedicto
ad seruiendum beato placido. cum uno alio sene donato nomine traditus
fuerat. Hic cum esset iuuenis per quandam posticam domus latenter aufu-
giens. saluatus est; Donatus autem cum esset senior statim ut eum apprehen-
derunt caput truncauerunt. Reliquos autem simul cum beato placido
strictim ligatos orabant eos ut dominum nostrum iesum christum negarent. et iuxta
mores illorum deum crederent et adorarent et dominum ihesum christum blasphemarent.
et sic eos illesos dimitterent. Qui cum reluctarent et dicerent se dominum
iesum christum numquam negaturos. et pro eius amore quod uellent de eis facerent. primo
omnes durissime et impie cesi sunt. deinde crudelissime torti. Et
dum torquerent eos dicebant illis. Negate christum. sed illi immobiles
permanserunt. Et dum hec agerentur. tempestas excitata est in mare.
et ire naues paganorum non poterant. Sancti autem dei martires interdum ma-
nibus a tergo ligatis et pedibus; septem dies sic iacuerunt sine cibo ma-
nentes. prestolantes barbari tranquillum mare. ut deportarent eos.
Et dum non sedaretur mare ab ira sua. circumquaque; igne. ferro. cuncta
deuastantes. et ad ultima flagitia et scelera et in ecclesiis et in hominibus
committentes uiros et mulieres ubique ferro trucidantes. Ciuitati
uero messane multa ~~multa~~ et ineffabilia mala intulerunt. Sancti autem

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.5, 13r – Vita Placidi et sociorum
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-0jh8/5197/49629)